


178
178





128 1928 K 944 18.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

190
DE

PLURIMUM

DEORUM

Impossibilitate,

Quam

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI DONATI,

Log. ac Met. Prof. Publ. & h. t. Facult. Phil.

DECANI,

publice ventilandam

proponit

PAULUS BALTHASAR RÔBERUS,

Ortrando Misnicus.

Ad D. IIX. April. ANN. MDCLXXXII.

In Auditorio Majori.



WITTENBERGÆ,

TYPIS AUGUSTI BRÜNINGII.

1682

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

PILULARIUM

DEORUM

impossibilitate

Quam

SUB PREESIDIO

CHRISTIANI DONATI

Log. ac Met. Rhet. Sch. Facult. Phil.

DECANI

publice veniendum

proponit

PALLIS BALTHASAR RÖBERG

Ordinarius Medicus


Al. O. IX. April. Ann. MDCCXIX.

In Auditorio Medicorum

WITTENBURG

THE AUGUSTI BRUNNIG





Cum Deo!

§. 1.

Prosteaqueam Deum nisi unum
singularemve non esse, actuq; plures deos haut dari,
luculentis alibi evictum rationibus: ostendendum
nunc porro mihi sumo, etiam nec possibile ullo modo
esse, dari alium aut plures, præter hunc unicum, quem cognitum
habemus, deos. Quo certe confecto, magis firmabitur circa uni-
tatem Dei credendam animus, tantoq; minus ullam de pluralitate
deorum suspicionem fovebit.

§. 2. Neq; enim validius ullum haberi poterit argumentum
ad demonstrandam Dei unitatem, & ad excutiendam animis de
pluralitate deorum opinionem, præterquam quod ab omnimoda
impossibilitate plurium deorum desumitur. Quandoquidem
nemo sane quicquam dari ullo modo verebitur, ubi id quidem sim-
pliciter impossibile esse habeat ex evidenti quadam ratione com-
pertum.

§. 3. Unde etiam Patres primitivæ ecclesiæ, quoties contra
gentilium πολυθεότης disputant, subinde hoc argumentum cæte-
ris, (alibi à me tactis) interspergunt: quos & alii passim doctores
in explicatione hujus thematis sequuntur. Quamquam ubi peni-
tius, quas ad eam rem conficiendam adferunt rationes, inspexeris
animo, atq; consideraris altius, alias aliis anteferendas merito, ac
nonnullas earum pro doctis saltem ingenii commentis, ad confun-
dendum magis secus sentientes, quam ad convincendum aptis,
existimaveris.

§. 4. Quod ut ordine jam ponam ob oculos: recitabo pri-
mum aliquas (è præteritis præsertim scriptoribus desumptas, indeq; ve
& modernis acceptas) rationes, quæ quidem minus validæ videan-
tur: tum illas subjuncturus, quæ, ut ego opinor, justam demon-
strandi

A 2

strand

standi vim habeant, nec labefactari ulla, verosimilitudine oppositi
queant.

§. 5. Primum igitur Edmundus Cantuariensis in Spec. Ec-
cles. T. V. Bibl. Patr. c. 28. à superfluo ita colligit. Si duo, ait, dii es-
sent, ex hoc sequeretur necessario, quod ambo dii essent superflui, & dimi-
nuti simul, & semel. Nam primus foret superfluus, quia secundus suffi-
ceret, aliter enim non esset Deus. Per eandem rationem esset secundus
superfluus, cum primus esset solus sufficiens. Id quod argumentum &
Tertullianus in primo advers. Marc. cap. 5. attingit quidem, sed
mox dimittit iterum, & ad aliud dilabitur. Jam nunc duo summa
magna inveniuntur, duo paria cui opera & pretio; cui emolumento deputa-
rentur? quid intersuit numeri, cum duo paria non differant uno? Una
enim res est, quæ eadem in duobus est.

§. 6. Cui sane collectioni istud haut immerito opponas.
Tametsi plures dii sive ad mundum hunc condendum, sive ad gu-
berandum necessarii non sint: si tamen essent, non minus & cæ-
teros, quam illum, quem de facto esse novimus, per intrinsicam suæ
naturæ conditionem necessario extituros, minimeque adeo tum
ullum eorum fore superfluum.

§. 7. Fulgentius L. Resp. advers. Arian. Resp. V. à Dei inde-
pendentia hunc in modum infert. Duo ingeni, ait, non possunt u-
nam habere naturam, ubi nec unus in uno veram ex se generationem in-
venit, nec unus ex uno vere in se substantiam nativitatis agnoscit. Id
quod ita clarius edisserit Petavius L. 1. Dogm. Theol. c. 4. n. 3. cum
dicit: Si quis plures deos ita fingat, tanquam individua quedam, eidem
subjecta formæ, ac numero distincta: ita ut nemo plus aliquid aut minus
habeat cæteris; uti si idem Socrates divina vi multiplicetur, atq; in va-
riis locis constituatur; nihil hoc erit. Siquidem diversæ numero naturæ
in eadem congruentes specie esse non possunt, nisi ab communi aliquo
principio, aut à se invicem propagatæ fuerint. Itaq; plures isti dii, si ab
uno ortum habent, non erit summus, adeoq; solus Deus.

§. 8. Sed enim verò mutilum, nî fallor, ac incompletum hoc
argumentum eatenus existit, quatenus non probat, sed tantummo-
do supponit, duo ejusdem speciei individua esse non posse, nisi u-
num eorum ab altero, vel utrumque à communi quodam principio
sit effectum. Hoc ipsum enim quoad evictum non fuerit, ani-
mum adhuc suspensum circa conclusionem, inde deductam, relin-
quit;

quit; cum certe de eodem nobis non constet, nisi per discursum a-
liunde petitum, nec cuivis satis obvium.

§. 9. Richardus Victorinus L. i. de Trinit. c. 17. ex Dei sin-
gularitate incommunicabilitate vé rem ita conficere laborat. Di-
vinitas ipsa, ait, aut erit incommunicabilis, aut aliquibus communis. Si
est incommunicabilis, non est Deus nisi unus. Si autem aliquibus com-
munis fuerit, communis itaq; erit & substantia illa, quæ non est
aliud, quam divinitas ipsa. Sed substantia una non potest esse
communis pluribus substantiis: alioqui una eademq; essent
plures, & plures una; quod quam falsum sit, ratio la-
tere non finit. Si vero dicitur esse communis pluribus personis; erit eis
itaq; communis & substantia illa, quæ non est aliud, quam divinitas ipsa.
Cui consonat, quod Thomas Qv. XI. Art. III. habet. Manifestum est,
inquit, quod illud, unde aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est
multis communicabile. Illud enim unde Socrates est homo, multis com-
municari potest: sed id, unde est hic homo, non potest communicari, nisi
uni tantum. Si ergo Socrates per id esset homo, per quod est hic homo,
sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines.
Hoc autem convenit Deo: nam ipse Deus est sua natura, ut supra osten-
sum est. Secundum igitur idem, est Deus & hic Deus. Impossibile
est igitur esse plures Deos. Nec multum ab eo diversum est, quod
Petavius n. 6. l. c. proponit. Cum esse sive existere, ait, sit ipsamet es-
sentia Dei ac natura (siquidem τὸ ὄν, id quod est, maxime proprium di-
vinitatis est,) existentia vero singularis sit; ad essentiam Dei singulari-
tas pertinebit. Non igitur plures esse dii poterunt; quia ad omnium
essentiam singularitas spectaret; quod tamen fieri non potest, si eadem
ratio & natura communis est multis. Nam singulare est id quod non mul-
tis convenit. Proinde singulares essent, & non essent isti. Non es-
sent igitur dii: imo nihil essent omnino.

§. 10. Ego autem dubito, ut istud, quam speciosum etiam
videri possit, animo attentiori omnino satisfaciat. Primum enim
non apparet, quæ ipsa Dei singularitas, seu, quæ propria singularis
est, incommunicabilitas dictam illam Dei unitatem, qua excludun-
tur plane alii, necessario inferat. Ita namq; ponamus tantisper,
præter hunc nostrum Deum, dari adhuc alium, ipsi per omnia ex-
actissime similem. Erit profecto nostri Dei divinitas reapse in-
communicabilis, seu non communis, alteri, quippe peculiari atque

distincta, at simili tamen, divinitate gaudenti: nec vicissim alterius divinitas reapse communis erit nostro. Interim tamen dicere nil vetabit, habere ambos divinitatem invicem communē eo communionis genere, quo alias duo pluresve homines ipsam humanitatem communem habere perhibentur; communionem puta intellectualem, qua id, quod in pluribus diversum numero habetur, propter omnimodam sui in singulis uniformitatem, tanquam aliquid idem ab ipsis per mentis operam abstrahitur, atque iisdem vicissim tanquam aliquid commune tribuitur. Tum autem, quod divinitas sit idem ipsum per omnia, quod divina substantia; & quod ipse Deus sit sua natura; quodque existentia singularis sit ipsa Dei essentia ac natura: id non plus conferre ad exclusionem aliorum deorum potest, quam ceteros homines non negat, quod & Socratis humanitas idem ipsum per omnia sit, quod ejusdem humana substantia; & quod ipse Socrates quoque sit sua natura; & quod denique etiam existentia singularis sit ipsa Socratis essentia ac natura. Sed hæc latius disputare nolo, nec singula momenta persequi.

§. II. Erit autem inde haut difficile perspectu, quo loco & illud Anselmi sit habendum, quod ipse cap. 4. Monolog. parum à superiori argumento discrepans urget, cum dicit: *Si plures sunt (naturæ) & æquales sunt, cum æquales esse non possint per diversa quædã, sed per idem aliquid; illud unum, per quod æqualiter tam magnæ sunt, aut est id ipsum, quod ipsæ sunt, id est ipsa earum essentia; aut aliud, quam quod ipsæ sunt. Sed si nihil est aliud, quam ipsarum essentia; sicut earum essentia non sunt plures, sed una: ita & naturæ non sunt plures, sed una. Idem namque naturam hic intelligo, quod essentiam. Si vero id, per quod plures ipsæ naturæ tam magnæ sunt, aliud est, quam quod ipsæ sunt; pro certo minores sunt, quam id per quod magnæ sunt. Quicquid enim per aliud est magnum, minus est, quam id, per quod est magnum, quare non sunt sic magnæ, ut illis nihil sit majus aliud.*

§. 12. Aliquanto majoris, subtilitatis dicam, an obscuritatis? est istud, nescio unde desumptum, ejusdem Anselmi argumentum, quod cap. 3. Monolog. traditum ita habet. *Quicquid est, ait, per unum aliquid videtur esse. Omne namque quod est, aut per aliquid est, aut per nihil: sed nihil est per nihil. Non enim est, vel cogitari potest, ut sit aliquid non per aliquid. Quicquid igitur est, non nisi per aliquid est. Quod cum ita sit, aut est unum, aut sunt plura, per quæ sunt cuncta, quæ sunt.*

sunt. Sed si sunt plura, tunc ipsa referuntur ad unum aliquid, per quod sunt: aut eadem plura singula sunt per se: aut ipsa per se invicem sunt. At si plura ipsa sunt per unum, jam non sunt omnia per plura: sed potius per illud unum, per quod plura sunt. Si vero ipsa plura singula sunt per se; utiq; est una aliqua vis, vel natura existendi per se, quam habent ut per se sint. Non est autem dubium, quod per ipsum unum sint, per quod habent, ut sint per se. Verius ergo per ipsum unum cuncta sunt, quam per plura, quae sine eo uno esse non possunt. Ut vero plura per se invicem sint, nulla patitur ratio, quoniam irrationalis cogitatio est, ut aliqua res sit per illud, cui dat esse.

§. 13. Scilicet latet hic cum maxime ambiguitas in termino, esse per aliquid. Vel enim per aliquid esse quicquam dicitur extrinsece seu effective; vel intrinsece seu constitutive. Est itaque verum quidem dicere: quicquid est, per aliquid est intrinsece seu constitutive, hoc est, ut illud aliquid, per quod quid esse dicitur, id ipsum intrinsece quasi constituat, aut det ejus essentiam intrinsecam. Sed falsum contra: quicquid est, per aliquid est extrinsece seu effective, hoc est, ita ut ipsum per illud aliquid sit aliquando productum; quandoquidem sane & Deus est, quem tamen effective per aliquid non esse, est in confesso positum. Jam igitur si illud, quicquid est, per unum aliquid est, sensu priori capiatur: poterit tantisper admitti; cum nec ad illationem insequentem adhibeatur. Sin autem sensu posteriori: tum nec de Deo, nec de cæteris omnino rebus verificari potest. Non de Deo; ut qui dicta ratione plane non est per aliquid. Nec de cæteris rebus; harum enim pleræque cum per Deum, tum per aliam rem creatam, minimeq; adeo per unum, sed per plura sunt. Quam distinctionem à me factam ubi ad reliquas, quæ ibi habentur, sententias progrediendo subinde repetieris, scopas hic dissolutas facile videbis.

§. 14. Idem ille, cujus supra meminimus, Fulgentius L. adv. Don. c. 4. tale ab unica veritate depromptum nectit argumentum. *Verã religio, inquit, in unius constat veri Dei servitio. Ipsa namq; veritas nuncus est Deus, & sicut excepta una veritate, non est alia veritas; sic absq; uno vero Deo non est alius verus Deus. Ipsa enim una veritas est naturaliter una vera divinitas. Et ita non possent duo veri dii veraciter dici, sicut una ipsa veritas naturaliter non potest dividi.*

§. 15.

§.15. Ubi quidem nemo non illico animadvertit, idem illud implicite jam supponi, quod quidem demonstrandum sumitur. Cum enim una illa veritas, ex qua unitas Dei infertur, nihil sit aliud, quam ipsa una vera divinitas: perspicuum sane est, quod, dum una vera divinitas ex una veritate colligitur, ipsa una divinitas ex una divinitate, Deiq; adeo unitas ex unitate Dei inferatur.

§.16. Cæterum à plerisque; varii ævis scriptoribus ipsa Dei summitas hic urgeri cum maxime solet; sic ut propterea Deus unus esse, præterq;ve ipsum alius esse non posse contendatur, quod duo summa dari sit simpliciter impossibile. Intelligunt autem per summitatem Dei, ipsam alias significantius dictam ejus summam absolutamq; perfectionem: quam & infinitatem quandoq;, nonnunquam etiam immensitatem vocant; non attendentes illud discrimen, quod alioquin aliis hodie inter terminos istos constituitur.

§.17. Atq; oportere quidem aliquod summum in rerum natura dari, ita ostendere laborat Anselmus cap. 4. Monolog. *Quis enim dubitat, ait, quod in natura sua ligno melior sit, equus, & equo præstantior homo, is profecto non est dicendus homo. Cum igitur naturarum aliæ aliis negari non possint meliores: nihilominus persuadet ratio, aliquam in eis sic supereminere, ut non habeat se superiorem. Si enim hæc graduum distinctio sic est infinita, ut nullus sit ibi gradus superior, quo superior alius non inveniatur, ad hoc ratio deducitur, ut ipsarum multitudo naturarum nullo sine claudatur.*

§.18. Sed neq; dubium cuiquam putatur, Deum summum omnium absolutissimeq; perfectum esse. Quo de ita Tertullianus loco mox citando: *Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definitio, quod & omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, &c.* Et Augustinus L. 1. Doctr. Christ. c. 7. *Cum ille unus, ait, cogitatur deorum Deus, ab his etiam, qui alios & suspicantur, & vocant, & colunt deos, sive in cælo, sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit, atq; sublimius, illa cogitatio conetur attingere. Tum paulo post. Nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaq; hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. Quod & ipsi gentiles eruditi dudum ante sunt fassi. Cicero enim in 1. de Nat. Deor. talem esse Deum certa animi notione præsentire*

sentire nos asserit, primum ut sit animans, deinde ut in omni natura nihil eo sit prestantius. Sextus item Empiricus L. IIX. contra Mathematicum. Deum esse dicit hoc, quod est perfectum, & optimum, & homine prestantius, atque omnibus absolutum virtutibus, nulliusque mali capax.

§. 19. Jam autem non una eademque ratione omnes dictum illud, à summitate, seu summa infinitaque Dei perfectione petitur, argumentum exequuntur: sed in eodem perficiendo adhuc non nihil variant. Quæ quidem varietas, quantum mihi advertere licuit, triplicis discrepantiæ est.

§. 20. Primum enim nonnulli in deo duo summa dari posse negant, quod alioqui summo aliquid compar ac æquale esse posse sequeretur; quod videatur absurdum. Ita namque Tertullianus L. I. contra Marcion. c. 3. disputat: *Deus si non est unus, inquam, non est: quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, & non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definitio, quod & omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, inextinctum, sine initio, sine fine, &c.* Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? nempe ut nihil illi adequetur, id est, ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adequabitur; & si adequabitur, non erit jam summum magnum eversa conditione, & ut ita dixerim lege, quæ summo magno nihil sinit adequari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum. Et mox, Certe quemcumque alium Deum induxeris, non alia poteris eum forma tueri Deum, quam ut & illi proprium divinitatis adscripseris, sicut æternum, ita & summum magnum. Duo ergo summa magna quomodo consistent, quum hoc sit summum magnum, par non habere? Par autem non habere, uni competat, in duobus esse nullo modo possit? Quod brevius auctor L. de Trinit. qui Novatiano inscribitur, cap. 4. complectitur, cum dicit: *Ideo & unus pronunciat us est, dum parem non habet. Deus enim quicquid esse potest, quod Deus est, summum sit necesse est. Summum autem quicquid est, ita demum summum esse oportet, dum extra comparem est. Et ideo solum, & unum sit necesse est, cui conferri nihil potest, dum parem non habet. Quoniam nec duo infinita esse possunt, ut rerum dicat ipsa natura.* Quo spectat etiam illud Richardi Victorini L. II. de Trinit.

C. 6. Immenſum dicitur, inquit, quod nulla meſſura comprehenditur; & quod nulli meſſuræ æquale, vel comparabile invenitur. Si ergo plures dicimus immenſos, erit quilibet eorum cuilibet alteri incommeſſurabilis. Nullius itaq; meſſura ab altera cujuſlibet alterius comprehenditur: & conſequenter unaquæq; quamlibet alteram ſupergreditur. Erit ergo unaquæq; quavis altera major: erit & unaquæq; quavis altera minor. Quod ſi nullus eſt quolibet altero major, vel minor, ſicut unusquiſq; eſt comprehenſibilis, & commenſurabilis ſibi, ſic erit comprehenſibilis, & commenſurabilis cuilibet alteri. Non eſt igitur immenſus.

S. 21. Aliqui vero propterea duo ſumma, infinitaq; ac abſolute perfecta dari haut poſſe contendunt, quod alias unum eorum ab altero aut differre, aut non differre oporteat; quorum quidem neutrum dici citra abſurditatem poſſit. Nam ſi non differt unum ab altero per aliquid, ajunt; non duo, ſed unum idemq; ſunt. Si vero differt unum ab altero: id, per quod differt, alteri, à quo differt, deerit; proptereaq; hoc ipſum ſumme perfectum non erit, tanquam quod divina perfectione careat: id quod viciffim & de altero illo, quod differt, fuerit dicendum. Id namq; ſubobſcuriſcule ita tradit Gregorius Nyſſenus in Prol. L. Catechet. Neceſſe eſt, inquiens, in iis, quæ nulla varietate diſtinguntur, ſed in iſdem verſari conſiderantibus videntur; vel proprium aliquid monſtrare: vel ſi ex propriis & peculiaribus cogitationi noſtræ nihil occurrat; in quibus nulla res ineſt, quæ diſcernat, in his nullum diſcrimen ſuſpicari. Nam ſi neq; in eo, quod plus, aut minus dicitur, differentiam inveniat; quoniam diminutionem nullam capit ratio perfecti: neq; in eo quod deterius dicitur, ac perfectius. Neq; enim divinitatem amplius de eo ſuſpicari poterit aliquis, à quo deterioris remota non eſt appellatio. Neq; in eo, quod eſt antiquum ac recens. Nam quod non ſemper eſt, divinum exiſtimari non poſteſt. Sed ſi una eſt & eadem ratio divinitatis; cum nulla reperiatur in ullo proprietas, ut eſt conſentaneum: neceſſe eſt omnino, ut aberrans & falſa de multitudine deorum phantafia compellatur ad conſitendam unam divinitatem. Nam ſi bonum, & juſtum, & ſapiens, & potens uno modo dicatur; incorruptum item, & æternum: ac pia omnis cogitatio eodem modo affirmetur, omni penitus ſublata differentia: deorum quoq; multitudo ex dogmate neceſſario tollitur; cum quæ eſt per omnia, ut ita dicam, identitas, ad id, quod unum eſt, fidem redigat.

Paulo

superadditū atq; inhærens: non esset, quia seipsum demum efficeret; omne enim quod efficitur, priusquam efficiatur, nondum adhuc est; alias effectione non opus haberet. Si vero dicantur, oriri ab alio; quomodocumque demum oriri dicantur, certe tamen efficiuntur atq; producuntur; adeoque ne dii quidem sunt; quod contra propugnatam hypothesin.

§. 30. Alterum argumentum hoc esto. Si præter hunc Deum, quem actu dari constat, adhuc alius vel plures essent possibiles: jam actu darentur plures præter unum dii. At non dantur actu plures præter unum. Ergo nec plures sunt quoquam modo possibiles.

§. 31. Consecutio Majoris in absoluta Dei necessitate fundata est. Scilicet Deus ille noster, quem cognitum habemus, quia à nullo suum esse habet, nihilque adeo agnoscit, per cuius seu agendi libertatem seu vim impeditivam potuisset ab actu essendi præpediri, sic certe existere intelligitur, ut nullo modo potuerit prorsus non esse; quod absolutam existendi necessitatem dicimus. Jam igitur, nisi quos possibiles alios deos essent: sper concipimus, alius naturæ aut generis, quam nostrum illum Deum, esse velimus: æque ipsos simpliciter necessarios, atque istum, esse, ac consequenter eosdem jam actu, & ita quidem existere, ut non potuerint prorsus non esse statuere fuerit necessum.

§. 32. Tertium argumentum, quod proxime antecedens secum trahit, istud est. Si qui possibiles sunt dii alii præter illum, quam habemus perspectum: dantur jam actu dii numero infiniti. At consequens est absurdum. Ergo nec antecedens locum habebit.

§. 33. Ratio Majoris hæc est. Quoniam si præter nostrum illum Deum, qui actu existit, adhuc alius quispiam fuerit possibilis, erit non minus & tertius, & quartus, & quintus possibilis: & quia nulla apparet ratio, quamobrem, quanto cunque numero possibilium deorum cogitato, non subinde alii atque alii debeant dici possibiles; erunt sane numero infiniti dii alii possibiles. Jam autem cum constiterit ante, actu istos deos omnes, ac necessario quidem existere, quotquot fuerint quoquam modo possibiles; propterea quodne possibilis quidem sit vera divinitas, nisi quæ absoluta necessitate gaudeat, itaq; omnino sit, ut non possit non esse: utiq; consequitur, quod, si quidem ulli præter nostrum Deum fuerint possibiles, jam actu numero infiniti dii existant.

§. 34. Atqui vero hoc ipsum absurdum ac impossibile esse, (sicuti in Minore dicebatur,) cum nemo alias diffitebitur, tum si quisquam probari desideret, haut omnino difficile erit evincere. Ita namque ponamus, dari numero infinitos deos, atque unumquemque horum sibi peculiarem mundum (ceu posse necessum est) extruere, in quo eadem hæc entium genera dentur, quæ in nostro existunt: erunt sane hi ipsi mundi æq; numero infiniti, atq; eorum conditores. Tum vero aut poterit quisquam istorum deorum adhuc alium mundum ultra creatos condere, aut non poterit. Si non posse inquiras; universe omnes impotentia argues, nullumque adeo deum affirmabis. Si vero posse dicas: poterit iste mundorum numerus, quem infinitum largiebaris, adhuc alio mundo condendo augeri; quo vero posito, nondum infinitus fuit; cum infinitum capax augmenti non sit. Ponamus item, ex singulis istis mundis, numero infinitis; singulos transumi lapides, inque eundem congeri cumulum: qui ipsi similiter numero infiniti erunt, atque mundi, è quibus sunt transumpti. Aut vero tum sufficiet iste lapidum cumulus, ut singuli dii denos inde demant lapides, (nullo insuper novo creato;) aut non
infi-

sufficiet. Si suffecerit: poterunt inde innumerabiliter plures resummi lapides, quam in eum fuerunt congesti, utut nullo de novo creato; quod impossibile. Si non suffecerit: finietur tandem, adeoque ex lapidibus numero infinitis non constitit; quod est contra hypothesin. Et quid? annon, si mundi numero infiniti, ab infinita deorum multitudine producti dantur, dabitur multitudo hominum infinita mundorum multitudine innumerabiliter major, & multitudo digitorum ipsorummet hominum numero multoties major, & adhuc major multitudo capillorum? Tam irrationabilis nempe est infinitorum deorum cogitatio, tamque innumeris involata absurditatibus, ut eam fovere non liceat, nisi qui sciens volensque insulsus esse velit.

§. 35. Quartum denique argumentum illud est. Si daretur alius vel plures præter hunc nostrum dii: darentur sane plures omnipotentes. Sed plures omnipotentes dari repugnat. Ergo nec plures dii erunt possibiles.

§. 36. Transumptum ita (ac recte quidem) probat Athanasius L. contra Gentil. *In iis, ait, quæ paræ sunt potestate, nihil est, quod excellat, & præstantius sit. Quippe si nolente altero, existit alterum, æqualis est amborum tum vis, tum imbecillitas: vis quidem æqualis; quatenus in eo, quod existunt ambo, voluntatem suam vincunt mutuo; imbecillitas vero par erit utriusq;, quod invitis ipsis, ac præter eorum voluntatem res accidunt. Atq; alias: Æqua in ambobus, inquit, esset potestas & imbecillitas: par quidem potestas, quod alter alterius voluntatem vinceret, eo ipso, quod altero invito esse posset: par item imbecillitas, quod nolentibus ipsis ea, quæ nolent, evenirent: si quidem unus præter alterius voluntatem existeret.*

§. 37. Cui & hoc ego subijcio. Omnipotens est, qui ita omnium est potens, ut quicquid de se possibile aut factibile est, (dummodo in agente imperfectionem non arguat,) præstare omnino queat atq; efficere. Jam autem ponamus, alterutrum omnipotentium aliquid & producere, & postquam produxit, velle adhuc porro servare; utrumq; n. præstare ipsum posse, quia omnipotens est, necessum est. Vel itaq; poterit tã alter omnipotentium, quod à priori est productum, destruere; vel non poterit. Si poterit: tum qui produxit, non erit omnipotens; cum non posset suum opus, à sese productum, utut vellet maxime, servare; quod tamen de se alias esset possibile. Si non poterit: tum hic ipse non erit omnipotens; quod quidem contra hypothesin, ac secundum eandem contradictionem.

§. 38. Paucissimis vim argumenti hujus ita Lactantius exprimit L. 1. Instit. c. 3. *Video rursus, ait, quid è contrario dici posset, tales esse illos plures (deos) qualem nos volumus unum. At hoc fieri nullo pacto potest, quod singulorum potestas progredi longius non valebit, occurrentibus sibi potestatibus cæterorum.*

§. 39. E quibus omnibus, hætenus à me disputatis, oppido fit manifestum, verissimum esse, quod Tertullianus L. contra Marcion. c. 3. scribit: *Deus si non unus est, non est.* Et quod Athanasius L. contra Gent. qui, *Deos esse multos, perinde esse, ait, ac nullos dicere.* Ita namq;, aliis diis positis, sequi intelligitur, ne hunc quidem Deum, quem habemus perspectum, vere omnipotentem esse, adeoq; nec veram germanamque divinitatem habere, ac consequenter nec verum

Deum existere. Atq; hæc in
DEI UNIUS GLORIAM,

WITTENBERG, DISS., ERGÄNZEND, 2.

1668/1708

ULB Halle

3


001 507 230



TA-206


K077





W
E
16





128

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

18.

DE

PLURIMIUM

DEORUM

Impossibilitate,

Quam

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI DONATI,

Log. ac Met. Prof. Publ. & h. t. Facult. Phil.

DE CANI,

publice ventilandam

proponit

PAULUS BALTHASAR RÖBERUS,

Ortrando Misnicus.

Ad D. IIX. April. ANN. MDCLXXXII.

In Auditorio Majori.



WITTENBERGÆ,

TYPIS AUGUSTI BRÜNINGII.

1682